CYPRIANUS CARTHAGINENSIS

Anfang 12. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26404
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et in terra. Non enim deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod deus vult. Nam
deo quis obsistit quominus quod velit faciat? Sed quia nobis a zabulo obsistitur
quominus per omnia noster animus atque actus deo obsequatur, oramus et petimus ut fi
at in nobis voluntas dei. Que ut fiat in nobis, opus est dei voluntate,
id est ope eius et protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed dei indulgen
tia et misericordia tutus est. Denique et dominus infirmitatem hominis quem portabat os
tendens ait: Pater si fieri potest transeat a me calix iste. tribuens ex
emplum discipulis suis ut non voluntatem suam sed dei faciant. addidit dicens: ve
runtamen non quod ego volo sed quod tu. Et in alio loco dicit: non descendi de celo ut
faciam voluntatem meam sed voluntatem eius qui me misit. Quod si filius obaudivit
ut faceret patris voluntatem, quanto magis servus deo obaudire debet
ut faciat voluntatem domini. Sicut in epistola sua Iohannes quoque ad faciendam volun
tatem dei hortatur et instruit dicens: Nolite diligere mundum neque ea que
in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum non est caritas patris in eo. quia omne
quod in mundo est concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et am
bitio seculi. que non est a patre sed ex concupiscentia mundi. et mundus trans
ibit et concupiscentia eius. Qui autem fecerit voluntatem dei manet in eternum.
quomodo et deus manet in eternum. Qui in eternum manere volumus dei qui eternus est
voluntatem facere debemus. Voluntas autem dei est quam Christus et fecit et docu
it. humilitas in conversatione. stabilitas in fide. verecundia in verbis. in fac
tis iustitia. in operibus misericordia. in moribus disciplina. iniuriam facere non nosse. et
factam posse tolerare. cum fratribus pacem tenere. deum toto corde diligere. ama
re in illo quod pater est. timere quod deus est. Christo omnino nihil preponere debemus.
quia nec nobis ille quicquam preposuit. caritati eius inseparabiliter adherere. cru
ci eius fortiter ac fidenter assistere. quando de eius nomine et honore certamen est ex
hibere in sermone constantiam qua confitemur. in questione fiduciam qua congre
dimur. in morte patientiam qua coronamur. hoc est coheredem Christi velle esse. hoc
est preceptum dei facere. hoc est voluntatem patris implere. Fieri autem peti
mus voluntatem dei in celo et in terra. quod utrumque et ad consummationem nostre in